
(12

EPISTOLA PASTORALIS
AD CLERUM, ET POPULUM BRUNDUSINUM



ROMAE 1819.

EX TYPOGRAPHIA ARCHIGYMNASII ROMANI
Apud Bernardinum Olivieri)(*Cum Facultate.*

ERRORI		CORREZIONI
Pag. 4. lin.	23. cernantes	cernentes
ivi	37. quis	qui
5.	38. reposta	reposita
6.	3. audivimus	audimus
ivi	17. tecum	iterum
ivi	22. imitabunt	imitabuntur
7.	19. sunt	sumus
ivi	36. habentes	agentes

FR. JOSEPH MARIA TEDESCHI

ORDINIS PRAEDICATORUM

SACRÆ THEOLOGIÆ MAGISTER

DEI, ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA

ARCHIEPISCOPUS BRUNDUSINUS

VENERABILIBUS FRATRIBUS, AC DILECTIS IN CHRISTO FILIIS

ORDINI CANONICORUM, CLERO, ET POPULO UNIVERSO DIŒCESIS SUÆ.

Salutem in eo, qui est vera Salus.

Incomprehensibilia Dei judicia, ejusque cogitationes non esse cogitationes hominum, Sacræ Litteræ prædicant: tantocumque, Filii charissimi, Divinorum eloquiorum veritatem & Ipsi experti simul, admiratique sumus. Quo enim animi ardore post furentes tempestates cœlum nauta præstolatur propitium, ut ad patria litora accedere, & post varia discrimina tranquillam demum domi suæ ducere possit vitam: eodem sane & Nos concupiscenti animo post laboriosa parochialis Curæ pericula, in qua Tricasii multos per annos versati sumus: in silentio auspicatissimam diem opperiebamur, qua tandem aliquando data foret facultas locum aliquem adeundi Religiosæ solitudinis, ibique in cinere, & cilicio supremo jam fato proximos extremum vitæ nostræ claudere diem. Hæc sane mente recolebamus, immo hæc erant vota, hæc desideria nostra; iisque ut Clementissimus Deus benigne dignaretur annuere, instanter deprecabamur. Variis porro hujuscemodi animo nostro cogitatibus intento, Gallipoli in Monasterio Sanctæ Matris Theresiæ, dum in

sacro ministerio exercebamur, Nobis nihil tale penitus opinantibus regius nuncius perlatus est, quo significabatur gratia, & benignitate Serenissimi Regis Nostri FERDINANDI I. Nos extremum, ne dicam inter omnes Ecclesiæ Dei Ministros, sed & inter homines, locum tenentes, ad Brundusinensem Archiepiscopatum, adprobante Pontifice Nostro Optimo Maximo PIO VII. gloriosissime regnante, fuisse nominatos. Horruimus sane, Fratres, & Filii Charissimi „ Veritatem dicimus in Christo, non mentimur, testimonium Nobis perhibente conscientia nostra, & tenuitatis Nostræ conscientia convicti, totis veluti visceribus contremuimus. Illico ex animo aliorum orationibus Nos commendavimus, & inter profusas lacrymas sacrificia offerentes Patrem luminum in amaritudine cordis Nostri enixe rogavimus, ut beneplacitum suum super Nos dignaretur ostendere. Cor nostrum multis Videntibus aperuimus, infirmitatem nostram, nostramque miseriam revelantes; qui omnes una voce sæpe sæpius repetere docuere: „ sic Domino placuit, sic fiat: „ Neque vero hisce obstantibus formidandum evadendi onus omni spe destituebamur. Nondum coram Rege Nostro, nondum coram Beatissimo Pontifice sisteramus: forte, dicebamus, cernantes illi imbecillitatem nostram, ac miseriam, imparesque proinde vires tanto oneri laboris, & officii gravissimo ferendo, dimovebuntur a proposito, Nosque liberos dimittent. At etiam Nostra Nos fefellit opinio: Et benigne ille nos sustinuit, & urbanissime hic Nos excepit. Iis igitur, aliisque de causis nihil aliud Nobis superesse duximus, nisi omnimode Sapientissimæ Divinæ Providentiæ Nos tradere, Ipsique soli Nos committentes, cum Divo Augustino repetere: „ Da Domine, quod jubes, & jube, quod vis. „ Quare arcana semper & inscrutabilia Dei judicia humillime venerantes, cervicem submisimus difficili Archiepiscopatus ponderi: & confidentes, quod qui sufficientes non sumus cogitare aliquid a Nobis, quasi ex Nobis, tota fiducia Nostra ex Deo erit; in eam spem erigimur, ut quis opus incæpit, pro sua benignitate perficiet, confirmabit, solidabitque, virtutem daturus, qui dedit dignitatem. Sumus ergo plane Vestri, Vosque plane Nostri, Filii desideratissimi.

Veniemus itaque ad Vos in Nomine Domini, & veniemus non in sublimitate sermonis, ex hoc ipso protestantes nolle Nos scire aliquid inter Vos, neque aliud annuntiare Vobis, nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum; in quo sunt absconditi omnes thesauri Sapientiæ, & Scientiæ Dei. Veniemus, ut pascamus gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntarie: neque ut dominantes in Clero, sed ut forma facti gregis ex animo. Veniemus docere veritatem, exhortari, & consolari infirmos, errantes oves ad ovile Domini reducere. Veniemus, ut Pastor, & Legatus Domini, ut commiserationis sensus in oves Nobis creditas diffundamus, illisque pro viribus solatio, consilio, adhortatione, patrocinio succurramus. Hæc sane sunt vota, quæ Dominus Nobis præstat, quæque opere complere in animo omnino est, Eo adjuvante, qui dat Velle, & Perficere.

Officia autem istiusmodi etiam & Vos Sacerdotes Ministri Dei sive Sæcularis, sive Regularis Ordinis, & Vos præcipue, quibus animarum cura demandata est, perficiatis oportet. Videte ministerium, ait Apostolus, quod a Domino accepistis, ut illud impleatis. Vos igitur Sacerdotes, & Ego Pastor attendamus ad Sacerdotalis, & Pastoralis ministerii dignitatem, & contremiscamus. Onus est vel ipsis Angelicis humeris formidandum. Ministerium est, non dominatio. Ex hoc ne insolescamus, ne extollamur. Electi sumus a Deo, ut Illi, & ejus Ecclesiæ, animabusque Christi sanguine redemptis ad æternam illarum salutem inserviamus. Non igitur indulgendum otio, sed strenue laborandum est. Ministerium non a Nobis habemus, sed a Domino accepimus. Non propter Nos, & temporalia nostra commoda, & æmolumenta, sed propter ejus gloriam, & Ecclesiæ utilitatem. Illud igitur non perfunctorie, negligenter, & ex parte exerceamus, sed sedulo, accurate, ferventer, ut par est, tanquam rationem certo certius Domino reddituri, omnia ejus officia impleamus. Ecclesiæ Ministros otiosos esse turpe est. Sint alta mente reposta aurea Beati Ambrosii verba, quibus Sacerdotali alloquitur eminentes dignitate. „ Cur non illa tempora, quibus ab Ecclesia vacas, lectioni impen-

das? Cur non Christum revisas, Christum alloquaris, Christum audias? Illum alloquimur, Eum oramus, Illum audivimus, cum Divina legimus oracula. Quid Nobis cum alienis domibus? Una est domus, quæ omnes capit. Illi potius ad nos veniant, qui nos requirunt. Quid nobis cum fabulis? Ministerium Altaribus Christi, non obsequium hominibus deferendum recepimus. „

Habentes igitur administrationem juxta quod misericordiam consecuti sumus, ne deficiamus, sed abdicamus occulta dedecoris. Ne ambulemus in astutia, neque adulterantes Verbum Dei: sed in manifestatione veritatis, commendantes nosmetipsos ad omnem conscientiam hominum coram Deo. Hæc facientes numquam vituperabitur ministerium nostrum; & is, qui ex adverso est verebitur, nihil habens malum dicere de nobis. Sic fiet, ut si quæ Gregis Nostri oves perierint, exurgent; si ruerint, tecum stabunt; si infirmæ evaserint, convalescent, & quæ in fervoris spiritu permanserint, ad majorem virtutum perfectionem volabunt, ut aquilæ, & non deficient. Sic fiet, ut qui jam in potentias Domini intravere, quique intrare festinant, intuentes conversationem nostram, imitabunt & fidem.

Ut tantis autem, tamque gravibus muneribus fiat a Nobis satis; sufficient ne deprecationes nostræ? Memores simus, Fratres, Doctoris Gentium, qui cum Vas esset electionis, ad rite tamen, sancteque ministerio a Domino suscepto fungendum, orationum suffragium a Fidelibus efflagitabat. Ad Vos igitur primum convertimur, Virgines Sacræ cœlesti Sponso dicatæ: Vos, quæ peculiarem portionem facitis Gregis a Domino nobis commissi: Vos, quæ ex instituto vovistis solum cogitare, quæ Domini sunt, ut Sanctæ essetis corpore, & spiritu: & quæ habitare elegistis in domo Domini, ut nidum vestrum poneretis in foraminibus petræ, & in caverna maceriæ: Vos, inquam, obsecramus per Dominum Nostrum Jesum Christum, & per charitatem Sancti Spiritus, ut Nos orationibus vestris adjuvetis, levantes pro Nobis puras manus ad Deum, ut simus omnes una vobiscum Christi bonus odor Deo.

Et Christi bonus odor Deo facti quid Nobis, quæso, sperare non licebit? Jam ex hoc nunc laborum nostrorum fructum veluti oculis cernere videmur; & gratitudinis debitum solventes, confidenter dicimus: „ Jubilate montes, exultate colles, quia fecit nobiscum Deus misericordiam suam: „ Imitatores quidem facti Domini Nostri Jesu Christi videbunt conversationem nostram Juvenes in Seminario degentes, & ea, qua par est cura, studio, & fervore attendent sibi, & doctrinæ. Nobiles Nostræ Brundusinæ Diœcesis nos videbunt, & dicent: „ Hæc est gens justa custodiens veritatem. „ Divites videbunt, & veras divitias per nos agnoscentes, non incident in tentationem, & in laqueum diaboli. Sapientes contemplabunt, & dicent: „ Vera sapientia, Domine, est scire, & nosse Te, & quem misisti Jesum Christum. „ Juvenes, & Virgines, Senes cum Junioribus laudabunt nomen Domini, quia per nos exaltatum videbunt nomen ejus solius.

Sed quo ultra progredimur? Jam epistolæ limites prætergressi sunt. Paucis igitur omnia dicamus.

Quotquot estis oves gregis Ecclesiæ Sanctæ Brundusinæ, audite vocem nostram, quæ vox Pastoris est, & Patris vestri amantissimi. Obsecro Vos per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem: rationabile obsequium vestrum. Nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in novitate sensus vestri, ut probetis, quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta. Deum timete, Ecclesiam Sanctam, Catholicam Romanam diligite, Regem honorificate. Induite vos, sicut Electi Dei, Sancti, & Dilecti: viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam: supportantes invicem, & donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam, sicut & Dominus donavit vobis, ita & vos. Super omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis. Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi gratias habentes Deo, & Patri per ipsam. Ita eveniet, ut omnium nostrum orationes innotescant apud Deum per Jesum Christum. Dum autem orabimus, obsecramus fieri etiam orationes pro omnibus, qui in sublimitate sunt: & primum

quidem pro Sanctissimo Pontifice Maximo, Domino Nostro, Parenteque Optimo PIO VII. ut quem Deus fecit juxta cor suum, incolumen servet, donans Ei augmenta gratiarum, & omne consilium ejus confirmet. Oremus etiam & pro Piissimo, ac Religiosissimo Rege Nostro FERDINANDO I., ut Deus impleat omnes petitiones Ejus, ac diutissime sospitet, una cum tota Ejus Regia Domo, quam Deus magis, magisque fortunet. Et quemadmodum Nos sine intermissione pro Vobis preces adhibemus, ut Deus, & Pater Domini Nostri Jesu Christi magis in diem confirmet Vos in fide, & abundare faciat charitatem vestram in invicem, & in omnes: ita & Vos orate pro Patre, & Pastore Vestro, ut ab Eo, a quo omne datum optimum, & omne donum perfectum Spiritu Sancto suo repleatur, cujus virtute susceptum ministerium ad extremam usque vitæ suæ periodum recte obire possit, ad gloriam Ejus, Ecclesiæque Sanctæ suæ utilitatem.

Quo vero facilius, atque uberius, quod petimus consequamur, deprecatores adhibeamus apud Deum, primum quidem Beatissimam, semperque Virginem Dei Genitricem Mariam, Ejusque castissimum Sponsum Sanctissimum Joseph: Deinde Sanctos Patronos totius Nostræ Diœcesis; ac denique Sanctos Angelos Tutelares, in quorum patrocinio sumus.

Tandem Pastoralem omnibus Benedictionem impertientes, ex animo deprecamur, ut Gratia Domini Nostri Jesu Christi, & charitas Dei, & communicatio Sancti Spiritus sit semper cum omnibus Vobis. Amen.

Datum Romæ extra Portam Lateranensem ipso consecrationis die 19. Decembris 1819.

IMPRIMATUR,
Si videbitur Reverendissimo Patri Magis. Sacri Palatii Apostolici.
Candidus M. Frattini Archip. Philip. Vicesg.

IMPRIMATUR:
Fr. Philippus Anfossi Sac. Pal. Apost. Mag.